

DIE VI. JUNII.

## S. NORBERTI EPISCOPI ET CONFESSORIS.

DUPLIX.

Oratio.

**D**EUS, qui beátum Norbértum, Confessórem tuum atque Pontíficem, verbi tui præcónem exímium effecísti ⁊ et per eum Ecclésiám tuam nova prole fecundásti : præsta, quæsumus, ut, ejúsdem suffragántibus méritis ⁊ quod ore simul et ópere dócuit, te adjuvánte, exercére valeámus : Per.

DIE VIII. JUNII.

## S. ANGELÆ MERICIÆ VIRGINIS.

DUPLIX.

Oratio.

**D**EUS, qui novum, per beátam Angelam, sacrárum vírginum collégium in Ecclésia tua floréscere voluísti : da nobis, ejus intercessióne, angélicis móribus vívere ⁊ ut, terrénis ómnibus abdicátis, gáudiis pérfrui mereámur ætérnis : Per.

In j. Vesperis Memoria S. Medardi Episc. et Confess.

Oratio.

**E**XAUDI, quæsumus Dómine, preces nostras, quas in beáti Medárdi Confessóris tui atque Pontíficis sollemnitate deférimus : ut qui tibi digne méruit famulári ⁊ ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólvas peccátis : Per.

DIE IX. JUNII.

## BB. DIANÆ, CÆCILIÆ ET AMATÆ VV. O. P.

DUPLIX.

Omnia de Comuni unius Virginis non Martyris, exceptis quæ sequuntur.

In utrisque Vesperis V̄. Ora pro nobis beáta Diána cum Sodálibus tuis. T. P. Allelúia. R̄. Ut digni efficiámur promissionibus Christi. T. P. Allelúia.